Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nobis sole apparet. non solum quia uicinior est terre. sed etiam quia quamquam fere
partibus aliquotiens. siue etiam ipse solaris cursus. terminos in meridiem tran
sit. et quanto amplius interiora austri penetrat. tanto deiectior nostris.
qui eam ab aquilone speculamur. paret obtutibus. Circa uero solsticiali gra
du in circulo aliquando sepe elatior sole uidetur estiuo. quia cum propinquior
sit terre quam sol. quamquam etiam .l. et .vi. partibus aliquando solis terminos ad aquilonem tran
scendit. et idcirco nostris obtutibus qui infra positi utrumque sydus de inferio
ribus aspectamus. tanto eminentior celi culmina petere uidetur. quanto
magis boreales sese recipit in partes. Quod hoc probabitur exemplo. Intra
bis noctu in aliquam domum pergrandem certe ecclesiam longitudine lati
tudine et altitudine prestantem. et innumera lucernarum ardentium
copia pulchre cum natalis est martyris honore repletam. uidebis quasdam maxi
me ac mirandi operis faros suis queque suspense ad laquearia catenis.
sed que tibi ex his uicinior. ipsa quoque est subiacenti. paulo uici
nior. Tanta autem uastitas domus tanta est longe distantium celsitudo
farorum. ut magis nocturno uisu lucem earumque flammarum. quam ipsa ig
nium ualeas uasa dinoscere. Si nunc uero faribus appropinquare incipiens.
recto intuitu oculos ad faros. et per faros ad oppositam. laqueariorum
uel parietis. loca sustuleris. illa tibi altior que uicinior est farus appa
rebit. et quanto accesseris. tanto tibi que submissior est. uidebitur esse sus
pensior. donec perspecta certius ueritate. cuncta ut sunt posita cog
noscas. Ita ergo et nos. infra duo magna celi luminaria siti. quia
utrumque habemus ad meridiem. quo hoc quod inferius est in septentrionem.
se subrigendo magis magisque nobis appropiat. eo nobis oculos ad illa per
illa dirigentibus ad celum uidetur esse illo sublimius. deiectius incedere
manifesta ratione patebit. De secessibus atque interuallis solis et lune. xxvi.

Hypparcus. In eo opere quod scribitur de secessibus. atque interuallis so
lis et lune. docet magnitudinem solis. mille. dccc. et lxxx.
partibus potiorem esse quam terram. Terram demum. xxvii. partibus potiorem
esse quam lunam. multoque solem altiorem esse quam luna sit. xxvii.

De magnitudine uel defectu De magnitudine uel defectu solis et lune.
solis siue lune plinius secundus. in opere pulcherrimo naturalis
hystorie ita describit. Manifestum est sole interuentu lune oc
cultari. lunam terre positu suo auferente. iterumque lune ac subeun
tem repentinas obduci tenebras. rursumque illius umbra sydus
hebetari. neque aliud esse noctem. quam terre umbram. statui autem atque

terre obiectu.
ac uices reddi.
eos sed solis radios
luna